



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis**

**Asseburg, Wilhelm Anton von der  
Paderbornae, 1764**

Tempore Autumnali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

*Die XXII. Septembris.*

SS. MAURITII & SOC. MM.

*Duplex Diœces.*

*Omnia de communi plurimorum  
Mart. præter propria.*

*Oratio.*

**A**nnue, quæsumus, omnipotens  
Deus, ut Sanctorum Martyrum  
tuorum Mauritii & Sociorum ejus  
nos lætificet festiva solemnitas: ut  
quorum suffragiis nitimur, eorum  
natalitiis gloriemur. Per Dominum.

*Lectioes I. Nocturni, de Scriptura.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**M**auritius insignis Christi miles,  
Theobanæ legionis primiceri-  
us, cum Maximiano Augusto, Dio-  
cletiani in Imperio collega, in Gallias  
proficiscitur ad sedandas seditiones,  
quas rusticani Amando & Æliano  
ducibus excitaverunt. Quod ut pro-  
sperè cederet, jubet Imperator ad  
Agaunum consistens in finibus Sedu-  
P. Autumn. O norum,

norum, omnes milites sacrificiis & victimis immolandis interesse, quibus deos sibi & exercitui propitios mereretur. Edictum Imperatoris rescientes prædictæ legionis milites, quos omnes Marcellinus Papa Româ transeuntes, sacro fonte tinxerat, se invicem ad fidei constantiam cohortantur, sibi proponentes firmiter potius proprium sanguinem fundere, quàm victimarum sanguinem demonibus, eorum sacrificiis coinquinari. *Re. Sancti tui.*

*Lectio V.*

**H**is acceptis Maximianus Imperator irâ excandescens, quosdam ad Mauritium & Socios præmittit satellites, qui suo nomine nuntiarent, ut si salvi esse vellent, in castra redirent, & sacrificiorum, quæ ipse Jovi & Marti paraverat, fierent participes. Unanimi consensu & voce responderunt Christi confessores, ad bello:

bello:

bellorum usum paratam esse legionis virtutem; ad committenda verò sacrilegia, sicut Cæsar præceperat, se religione Christianâ, quæ unum & verum Deum agnosceret, impediri. Quorum responsum indignè ferens Maximianus, majori iracundiâ, quàm antea exarsit. *R.* Verbera carnificum.

*Lectio VI,*

**I**taque immisâ parte exercitûs in Thebæos, decimum quemque eorum primùm occidi iussit, quo cæteris terrorem incuteret. Eam ignominiam constanti animo, hortante Mauritio, ferre maluerunt, quàm nefandis sacrificiis contaminari. Post alteram decimationem nihil se proficere videns Imperator; omnes constantissimè Christum prædicantes ab universo exercitu trucidari imperat. Quod martyrium mirâ patientiâ subierunt gloriosi Christi milites decimo Kalendas Octobris, anno salu-

tis ducentesimo nonagesimo septimo. Victor autem veteranus illuc fortè transiens, cùm invitatus nollet cum persecutoribus sociari, qui de cæforum spoliis epulabantur, & dolens quòd in illâ legione militare non meruisset: Christianum clarâ voce se esse confessus, à persecutoribus obtruncatur: Cæterisque Martyribus sicut morte, ita honore conjunctus est. *R.* Tamquam aurum.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evang. Cum audieritis. de communi.*

*Die V. Octobris.*

S. MEINOLPHI CONFESSOR.

*Duplex Diæces.*

*Omnia de communi Confessoris non Pontif. præter sequentia.*

*Oratio.*

**D**eus, qui nos annuâ S. Meinolphi Confessoris tui solemnitate lætificas; concede propitius: ut cujus natalitia colimus, per ejus  
ad

ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

*Lectioes I. Noct. de Scriptura.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**M**einolphus natalium splendore & opum affluentia, in Westphalia clarissimus, à religiosissima matre Wichtrude (patre non ita pridem Christiano vitâ defuncto) ad Carolum Magnum, post devictam ab eo patriæ istius gentem Christoque ut plurimum subjugatam, puer est adductus. Quem Carolus paternè suscipiens, baptismatis undis, de sacro eum fonte levans, imposito Meinolphi nomine, statim ablui curat; ac subinde viro notæ sanctitatis Badurado, secundo Paderbornensis Ecclesiæ Episcopo, tradit; apud quem Scholaribus, & Regularibus disciplinis erudiretur. A quo deinde scientiâ provecus, morum gravitate,

O 3

ac

ac virtutibus jam maturus, ad ordines sacros vocatus, Diaconus factus, & ad Archidiaconatûs dignitatem evectus est, in quo usque ad finem vitæ permansit.

R. Honestum fecit illum Dominus.

*Lectio V.*

Cum interim pro Ecclesia ædificanda de apto loco sollicitus esset, divinitûs accidit, ut Subulcus ejus in Sylvis hæreditariis ex improvîso splendorem miræ lucis inter arbusta, cum discutrentium hinc inde cervarum multitudine conspiceret, eâque visione percussus prodigium Domino significaret. Qui de consilio Episcopi id pro divino habentis ostento, locum ipse visitans, dum caliginosâ nocte devotis precibus genuflexus intenderet, eandem secundò vidit. Quare impetrato priûs Imperatoris consensu, ædificium in eodem loco designat; pro quo cùm spatii capaci-

tatem

tatem ac qualitatem inspiceret, aliud ei divinæ aspirationis indicium patenter occurrit. Nam eo in loco, quo nuper viderat cervas motibus instabiles, nunc cervum præstantis corporis, erectis in altum cornibus, (inter quæ signum Dominicæ splendebat crucis, omnem auri fulgorem superantis) vidit accubantem, moxque sibi assurgentem, & denuò ac si Virum sanctum veneraretur, se prosternentem in terram. Quo viso recreatus Monasterium cum Ecclesiâ ibidem fundavit, & congregationi Canonicarum attribuit, locumque nomine Nienbüdeken insignivit.

R. Amavit eum Dominus.

*Lectio VI.*

**T**andem consummatis pluribus pro Deo & Ecclesiâ laboribus, tempus adfuit, quo servum suum Dominus ad æternam coronam invitaret: quando plenus virtutibus, &



ætate gravis tertio nonas Octobris  
 migravit ad Dominum, corpore in-  
 tra fundatam ab ipso Ecclesiam depo-  
 sito. Ad cuius sepulchrum alii mira-  
 culorum præteritorum famâ, alii spe  
 futurorum excitati copiosè conflu-  
 ebant. Possederunt autem deinceps  
 Reliquias viri sancti unâ cum Mona-  
 sterio Canonica; donec anno Chri-  
 sti millesimo quadringentesimo octa-  
 vo successerunt, vocante eos Wil-  
 helmo de monte Episcopo Paderbor-  
 nensi, è Swollensi Bethlema, Ca-  
 nonici Regulares S. Augustini, mul-  
 tiplici Religionis incremento, & no-  
 vendecim Monasteriorum per ipsos  
 quâ inchoatorum, quâ instauratorum  
 accessione. *R.* Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam c. 19.

*Lectio VII.*

**I**n illo tempore dixit Jesus discipulis  
 suis parabolam hanc: Homo qui-  
 dam,

dam nobilis abiit in regionem longin-  
quam, accipere sibi regnum & re-  
verti. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

*Lib. 2. quest. Ev. quest. 46.*

**R**egio longinqua Ecclesia gentium  
usque ad fines terræ: Reverti se  
tamen dicit: abiit enim, ut plenu-  
do gentium intraret: revertetur, ut  
omnis Israël salvus fiat. Per decem  
mnas legem significat, propter De-  
calogum. Decem autem servos,  
quibus sub illâ positus gratia prædicata  
est. Sic enim intelligendum est, eis  
datas mnas ad usum, cùm intellexe-  
rint eam ipsam legem, remoto vela-  
mine, ad Evangelium pertinere. Ci-  
ves ejus, qui post eum miserunt le-  
gationem, dicentes: se nolle, ut  
regnet sibi, Judæi sunt, qui prædi-  
cationem Evangelii respuerunt.

*R.* Iste est.

Lectio

*Lectio VIII.*

**Q**uòd autem paulò post servi red-  
dentes rationem ex eo, quod  
acceperant, laudantur, quia lucrati  
sunt; significat eos bonam reddere  
rationem, qui bene usi sunt eo quod  
acceperunt, ad augendas divitias  
Domini, per eos qui credunt in eum.  
Quod qui facere nolunt, in illo signi-  
ficati sunt, qui mnam suam in suda-  
rio servavit. Mensam cui danda erat  
pecunia professionem ipsam religio-  
nis accipimus, quæ tamquam publi-  
cè proponitur ad usum necessarium  
saluti. *Rx.* Sint lumbi.

*Lectio IX.*

**Q**uod autem unus eorum, qui bene  
usi sunt, decem acquisivit, &  
alter quinque significat eos esse ac-  
quisitos in gregem Dei, à quibus ipsa  
lex per gratiam intellecta est. Ad hoc  
pertinent & decem & quinque civi-  
tates, quibus eos proponit; Multi-  
pli-

plicatio enim intelligentiæ in ipsa varietate ad unum redacta, quasi civitatem facit viventium rationum æternarum. Est enim civitas non quorumlibet animantium, sed rationalium multitudo, legis unius societate devincta. Te Deum laudamus.

*Missæ: Os justi. Oratio ut supra. Evang. Homo quidam nobilis, ut in com. post ultimam Missam.*

*Die IX. Octobris.*

SS. DIONYSII ET SOC. MM.

*Dup. in Diœcesi Paderb. reliqua ut in Brev. Romano.*

*Die XXI. Octobris.*

SS. URSULÆ ET SOC. MM.

*Duplex Diœces.*

*Omnia de communi Virginum præter propria Ant. ad Magnif. & Oratio ut in Breviario cum Comm. S. Hilarionis.*

*Lectioes I. Nocturni de Scripturâ.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**U**rsulam virginem Britannia genuit parentibus Regibus & Christianis,

nis, à quibus ab ipsâ infantia; legibus Evangelicis instituta, brevi ad sanctitatis apicem conscendit, ut, adhuc tenera, Deo virginitatem consecrarit. Sed cùm ejus pulchritudinis, & perfectæ virtutis famâ Rex gentilis permotus, eam filio suo, regni hæredi, conjugem posceret; parentem, metu fluctuantem & anxium, divinitus monita, bono jubet esse animo, regiisque postulatis acquiescere, tali lege conjugii constituta, ut, ad virginitatis exercitationem, sibi virginibus undecim millibus assignatis, triennii darentur induciæ; sponsus interim, fidei Christianæ præceptis informatus, salutari baptismatis lavacro ablueretur. Annuit piis Ursulæ votis sponsi pater, & exercitum virgineum, utriusque regni studiis & opibus collectum ei trasmisit, Deo conatus eorum secundante.

Æ Prop-

R. Propter veritatem.

*Lectio V.*

**V**oti compos Ursula, tot puellarum millia ad Christi fidem, castitatis amorem, & martyrii lauream præparavit. Et triennio nondum evoluto, cum conscensâ classe, piis exercitationibus in mari pro more suo virgines navarent operam, immisso coelitus vento, navibus per mare delatis in ostia Rheni, prosperâ velificatione Coloniam Agrippinam pervenerunt. Ubi cum Ursula comilitonibus suis nocte proximâ sibi datum oraculum de martyrii coronâ toti societati ibidem loci post reditum ex urbe Romanâ promissâ, fideliter exposuisset; actis Deo gratiis, in eam unanimes coeunt sententiam, ut decursâ peregrinatione Romanâ, coelitus inspiratâ, ad constitutum certaminis locum quàm citissimè revertentur. R. Dilexisti.

*Lectio*

*Lectio VI.*

Unde Basileæ relictis navibus, itinere pedestri Romam contenderunt: ibi locis sacris visitatis, se Deo Sanctisque commendarunt; magno facto è Clero Romano, Præsulibus Italiae, & aliis fidelibus, societatis incremento: & conscensis iterum Basileæ navibus, Moguntiam pervenerunt. Sponsus verò, divinitus monitus, cum ibidem virginibus occurrisset, & solemniter cum multis sociis baptizatus esset, Coloniam versus, omnes martyrii promissi cupidi, tunc ab Hunnis obsessam navigarunt. A quibus ob Christi fidem trucidatis immaniter omnibus, tandem Ursula, quòd, Christo datam fidem servans, oblatum impii Tyranni conjugium respueret, ictu sagittæ transverberata, eandem virginitatis & martyrii divinitus promissam coronam obtinuit. Hunnis ve-

10

rò subito pavore diffugientibus, populus Coloniensis sacra martyrum corpora, studiosè collecta, piè & honorificè in locis virgineo sanguine purpuratis sepelivit, ædificata desuper Ecclesia, quam exustam Clematius postea restauravit; cui delatus is honor est, ut nullum exinde cadaver humanum illic tumularint. Ibidem sanctus Cunibertus Episcopus, dum sacrificaret, indicio columbæ sepulchrum, & corpus S. Ursulæ virginis & martyris meruit invenire.

℞. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evang. Simile est regnum coelorum decem virginibus. Cum reliq. de comm. 9. lect. (ex 2. una) & Comm. S. Hilarionis in Laud. & Miss. Loquebar. orat. cum secr. & postcomm. prop. Epist. Fratres: De virginibus præceptum Domini.*

Do.



Dominica ante Festum OO. SS.

FESTUM REDUCTIONIS

RELIQUIARUM S. LIBORII,

*Duplex Majus Diœces.*

*Omnia de comm. Conf. Pont. præter  
propria.*

*In Hymn. Iste Confessor. mut. tert.  
vers.*

*Oratio.*

**O**mnipotens sempiterne Deus,  
qui Ecclesiam tuam in Confes-  
sione Sancti Nominis tui solidasti:  
præsta quæsumus; ut quæ Sancti  
Liborii Confessoris tui atque Ponti-  
ficis annua recolit solemnia, ejus  
apud te suffragiis ab omni mereatur  
adversitate liberari. Per Dominum.

*Lectioes primi Nocturni Fidelis  
Sermo, de communi Conf. Pont.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**P**ostquam sacrum Corpus Sancti  
LIBORII Cenomanorum Episcopi  
multis prodigiis celebre, octo ferè

*secu-*

sæculorum spatio, præcipuo in ho-  
 nore à Christi fidelibus habitum, in  
 Æde Cathedrali Paderbornensi quie-  
 verat, Anno Reparatæ Salutis vige-  
 simo secundo supra millesimum sex-  
 centesimum, quarto Kalendas Fe-  
 bruarias heterodoxi, captis quibus-  
 dam Oppidis vicinis, eamdem etiam  
 Urbem occupârunt. Quâ occasione  
 cum prædicta Ecclesia, ejusque Or-  
 namenta diriperentur, venerandæ  
 illæ exuviæ ex argenteâ Tumbâ, quæ  
 ab impiis Violatoribus disrupta, &  
 in nummos deindè conversa fuit, ex-  
 tractæ, vilique mappâ involutæ, per  
 varia loca delatæ sunt. Quod qui-  
 dem facinus (ut memoriæ proditum  
 est) inultum non sinens Altissimus,  
 violationis Auctorem, ejusque Mi-  
 litares copias paulò post multis cladi-  
 bus, & gravissimis ærumnis affecit.

Rx. Inveni David.

P. Autumn.

P

Lectio

*Lectio V.*

**P**retiosus abductorum Ossium thesaurus à FERDINANDO unà cum Archiepiscopatu Colonjensi Paderbornensem quoquè Præsulatum obtinente, nec non ab hujus Ecclesiæ Canonicis, sedulò conquisitus, tandem apud Nobiles, & Catholicos Conjuges Neovillerii in Lotharingiâ Castri Dominos inventus est, qui illum è Raptoris manu vindicatum, mirisq̃ue signis (piâ sic referente traditione) in supplicantium solatium cælitùs illustratum, Aulico in Sacello colendum servabant. Quamobrem memorato Antistite agente, Sacræ Reliquiæ feliciter inde receptæ, ac decimo septimo Kalendas Julias, Anno ejusdem Sæculi vigesimo tertio, Marienforesti propè Bonnam Brigittini Ordinis Cænobio, ejus jussu ad custodiam fuerunt reconditæ, ubi deinceps ob diversas adhuc rerum,

&

& temporum vices in quartum annum detentæ sunt.

R. Posui adjutorium.

*Lectio VI.*

**P**ravis intereà Sectæ Lutheranæ erroribus, quibus Cives Paderbornenses adhæserant, non sine cælestis Patroni sui ope ejuratis electum pignus ad Arcem Neuhusanam asportatum fuit: atque hinc Anno vigesimo septimo præfati Sæculi, Dominicâ Omnium Sanctorum festivitatem præeunte, quæ die Mensis Octobris postremâ contigit, novæ Urnæ magnificentissimè elaboratæ inclusum, splendidissimâ supplicatione, in Civitatem universo Populo, qui vel ex finitimis locis advenerat, exultante, ac plaudente, illatum, pristinae sedi, & venerationi in Cathedrali restitutum est. Itaque rei gestæ memoria, prædictâ Dominicâ recurrente, Ecclesiastico Officio quotan-

nis celebrari coepit, exindeque cultus Beati Præfulis, quem Catholicæ Religionis hostes evertere tentaverant, per complurium Beneficiorum operationem, præsertim in Liberatione à Nephriticis doloribus, nec non per Particularum ejus Ossium, supremis etiam Principibus devotè flagitantibus, factam distributionem, & subsequutam multis in regionibus earum expositionem grande accepit incrementum.

Ry. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evang. Homo peregrè.  
de comm. Conf. Pont.*

*Nona Lect. & com. Dom.*

*Missa: Statuit. orat. cum secr. &  
Postcom. prop. ut in festo Die 23. Julii.  
Ex Indulto Sacræ Rituum Congregationis die  
30. Mensis Septembris 1738. pro omnibus  
tam Sæcularibus, quàm Regularibus utrius-  
que Sexûs de beneplacito Sanctissimi Domini  
nostri Papæ CLEMENTIS XII.*

Die

*Die III. Novembris.*

S. HUBERTI EPISC. CONF.

*Duplex Diæces.*

*Omnia de comm. Conf. Pont. præter seq.*

*Oratio.*

**D**eus qui perennem gloriam, sancti Huberti Confessoris tui atque Pontificis animæ contulisti: tribue quæsumus, ejus nos apud te ita patrociniis adjuvari, ut cum eo vitam possideamus æternam. Per Dominum  
*Et fit commem. Oct. omnium Sanctorum.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectioes de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**H**ubertus, proximus post sanctum Lambertum Tongrensis Episcopus, ubi primùm Pontificalem apicem consecutus est, facultates universas, quæ supererant, in egenos distribuit; & se totum charitatis officiiis dedit: ut, nutricius pauperum, pater orphanorum, viduarum & mi-

ferorum omnium benignissimus patronus, semper sit nominatus. Castitatem animi & corporis eximiè coluit; quam jejuniis, vigiliis, & orationibus mirificè deditus integram & incorruptam conservavit.

R. Inveni David.

*Lectio V.*

**R**ejectâ verò rerum temporalium curâ, gregi suo sollicitè invigilabat; nec ullos pro eo labores fugiebat. Hujus operâ per Taxandriam, ab antecessore sancto Lamberto conversam, & vicinam Brabantiam, infideles adhuc reliqui cum totâ Ardennâ, Gentilitatis superstitionibus abjuratis, ad veritatis agnitionem pervenerunt. Idolorum etiam delubris subversis, multæ Christiano ritu Ecclesiæ partim è fundamentis ab ipso constructæ, partim, quæ collapsæ fuerant, amplissimis muneribus sunt exornatæ. Ac in his Leodii alteram

dica-

dicavit Apostolorum Principi, sancto Lamberto verò, in martyrii loco, augustissimam alteram; in quâ ejus corpus, Dei jussu, Trajecto simul cum Pontificali sede translatum, Episcopatus sui anno decimo tertio, sumina cum reverentiâ ac pietate condidit. R. Posui adjutorium.

*Lectio VI.*

**I**n hoc autem tanto religionis propagandæ studio, generosum Pontificis animum non parùm cruciabat, quòd inter efferatas gentes, diaboli regno deleto, Christi nomen, cum certissimo quidem vitæ discrimine celebrare, nec tamen præclara Lamberti decessoris merita assequi martyrii gloria liceret. Angelico dein monitu cum mortem imminentem didicisset, annum integrum Sanctorum obivit memorias, eorum suffragiis, continuis jejuniis, precibus, ac lacrymis, animam Deo commen-



dans & ad coelestem patriam crebris  
gemitibus suspirans, tandem ex Bra-  
bantiâ, quorundam illustrium viro-  
rum rogatu novâ Basilicâ consecratâ,  
domum rediens, in itinere febris cor-  
ripitur apud Furam vicum: ubi, post  
piam discipulorum admonitionem,  
ac symboli Apostolorum & orationis  
Dominicæ recitationem, manibus  
in cælum elevatis, ex hac vitâ felici-  
ter emigravit.

R. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evangelium: Homo pe-  
regre, de comm. Conf. Pont. Miss.  
Statuit.*

*Dominicâ ante Adventum, quæ est ultima  
Nov. celebr. in Diœces. Paderb.*

FEST. PRÆSENTAT. B. M. V.  
Duplex Majus.

OF-

OFFIC. HEBDOMADARIUM  
IN HONOREM

S. LIBORII

Episcopi & Confessoris

à

Sanctissimo D. N. D.

CLEMENTE XII.

*in Civitate et Diœcesi Paderbornensi*

Extra

Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora,  
& Vigilias, Die, festo novem lectionum non  
impeditâ sub ritu semiduplici recitari concessum.

*Omnia dicuntur de communi Con-  
fessoris Pontificis præter ea, quæ se-  
quuntur.*

*In Hymno: Iste Confessor. mut.  
3tius versus.*

*Ad Magnificat in primis vesperis  
Antiphona: Sancte Libori Confessor  
Christi miseris tuis subveni servis,  
& iram, quam meremur, precatu  
tuo averte, ne de gregis tui danno  
inimicus exultet.*

*Ora-*

*Oratio.*

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Confessione sancti Nominis tui solidasti: præsta quæsumus; ut quæ Sancti Liborii Confessoris tui atque Pontificis recolit commemorationem, ejus apud te suffragiis ab omni mereatur aduersitate liberari. Per Dominum &c.

*In primo Noct. Lect. de Script. occur.*

*In 2. et 3. Noct. Lect. ordine inf. posito.*

*Ad Benedictus Antiphona:* O quàm venerandus es Libori Confessor Christi, qui terrena contempsisti, & Coeli januam exultans petisti, modò victor fulges in virtute cœlesti; ideò te supplices exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

*In 2. Vesp. ad Magnif. Antiph. Sancte Libori Confessor Domini pre-  
tiosè, adesto nostris precibus pius,  
ac propitius.*

*Pro*

*Pro Mensibus Septembri & Octobri.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

Sermo S. Maximi Episcopi : Beati  
Patris &c. *Ut in Breviario de commu-  
ni Conf. Pont. 2do loco.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio VII. Cap. 25.*

**I**n illo tempore : dixit Jesus discipu-  
lis suis parabolam hanc : Homo  
peregrè proficiscens, vocavit servos  
suos, & tradidit illis bona sua. Et  
reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysofomi.

*Unde supra.*

**H**æc autem omnia de magistris di-  
cta sunt, ut talenta sibi concre-  
dita non abscondant, sed omni dili-  
gentiâ discere cupientibus apponant.  
Verum ultra audi, dilecte, ex indi-  
gnatione erga illum, quomodo &  
discipuli rei sunt : & non solum illa  
repetuntur, quæ concredita, sed &  
cum lucro operatio quæritur. **Quid**  
igitur

igitur dicit illi Dominus? Serve nequam. Terribilis indignatio, & minæ valentes per se percellere animum. Oportebat te pecuniam tuam dinumerare mensariis, & ego, cum venissem, cum lucro repetissem illam. Pecuniam dicens eloquia pretiosa: nummularios autem vos, qui suscipitis.

ꝛ. Amavit eum.

*Lectio VIII.*

**Q**uocirca, dilecti, cum vobis concredita dinumeraverimus, vobis necessarium erit, duplicem afferre laborem & vigilantiam, tum quòd dinumerata custodienda sunt, ut fixa maneant; tum quòd operandum; ut & aliis communicetur, & multos in viam virtutis inducant: ut bifariam vobis lucrum accrescat, tum pro salute vestrà, tum pro aliorum utilitate. Igitur fratres vestros nolite negligere, neque solum spectare, quæ ad vos attinent, sed unicuique cura sit, quomodo proximum suum à diaboli faucibus eripiat. ꝛ. Sint lumbi.

*Lectio IX.*

**S**imili modo & nos erga fratres nostros benè affecti, magnam adhibeamus diligentiam, & obluetemur maligno illi dæmoni, ut irritos ejus faciamus conatus. Nam si singuli, qui adsint, unum lucrifacere

cere

cere possent, cogita quantam nobis lætiam Ecclesia multitudine filiorum suorum ostenderet: & quomodo diabolus confunderetur, videns in vanum & frustra extendi sua retia. Quòd si hoc feceritis, audietis & vos in die illo: Serye bone & fidelis, in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.

*Pro Mensibus Novembri & Decembri.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Gregorii Papæ.

*Part. 2. Pastoralis Cap. 1.*

*Lectio IV.*

**T**antum debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicitè studeat, quantâ tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam  
in



in internorum sollicitudine non relinquens.

℞. Inveni David.

*Lectio V.*

*Part. 2. Pastoralis c. 9. § 10.*

**C**onsiderandum quoque est, quia cum curam populi electus Præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere passiones vivunt, quæ præsumptione percussum mederi prope- rat, qui in facie vulnus portat? Ille mo- dis omnibus debet ad exemplum benè vi- vendi, pertrahi, qui cunctis carnis passio- nibus moriens jam spiritaliter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla ad- versa pertimescit, qui sola interna deside- rat: cujus intentioni benè congruens, nec omninò per imbecillitatem corpus nec val- dè per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena cupienda non ducitur, sed pro- pria largitur. ℞. Posui adjutorium.

*Lectio VI.*

*Ibid. Cap. 8.*

**U**nde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione diffinitur, cum dicitur: Si quis Episcopatum deside- rat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium,  
sed

sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occultâ meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laude propriâ lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantiam exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

✠. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Lectio VII. Cap. 25.*

**I**n illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

*Lib. 2. de vocat. Gent. cap. 2. post medium.*

**D**atur unicuique sine merito, unde tendat ad meritum; & datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse, Evangelicæ veritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis substantiam suam, & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundum propriam

virtu-



virtutem, id est, secundum propriam & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud, operari: & aliud est, posse habere charitatem: aliud, habere charitatem. *℞.* Amavit eum.

*Lectio VIII.*

**N**on itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est: quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est; reparatum autem & sanatum esse, de gratia est. Denique isti, quibus secundum modulum capacitatis suae, quem in eis distributor substantiae praevidebat, dispar creditus est numerus talentorum; non meriti remunerationem, sed operis accepere materiam.

*℞.* Sint lumbi.

*Lectio IX.*

**I**n qua duorum servorum vigilantissima industria non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in aeterna Domini sui gaudia intrare praecipitur. Tertii vero pigrum otium, & desidiosa nequitia sic puniuntur, ut & vituperationis dedecoretur opprobrio, & portione, quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui non exercuerat charitatem.

**FINIS.**